



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De inclusa, quae Christum quaesivit in foramine, & inuenit, cap. 31.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

nunquam venisset ad curiam Romanam: iustitia eius
 daciā illi contulit. Præcipio tibi, ne cum in ecclesia
 sua de cætero inquietes, & ego de ecclesijs tuis dispē-
 fabo. Quo audito timēs cessit, quia simplicitas pro-
 eius aduersario pugnauit. APOLLONIVS: Cū simpli-
 cium verba & opera seculi principes tantum venerē-
 tur, puto quōd in illorum oratione Deus plurimum
 iocunderetur. CÆSARIVS: Hoc tibi simplex Paulus o-
 stendit, sed ego recentioribus tibi pandam exemplis.

Lib. 1. vi

2a SS. P. u

1787, cc.

32.

Simplici-

tatis ex-

empla.

** aliās*

Hemmē-

vado.

CAPVT XXX.

IN* Claustro Conuersus quidam simplex satis
 grauitè tentabatur, qui stans in oratione his
 verbis vsus est: Verè Domine, si non liberaueris
 me de hac tentatione, ego matri tuæ conquerar. Pius
 Dominus, magister simplicitatis & amator humilita-
 tis, ac si timeret apud matrem accusari, Conuē-
 querimoniam præuenit, tentationem eius mox mi-
 tigans. Alius quidam Conuersus post tergum eius
 stans, cū hanc orationem audisset, subrisit, alijsque
 ad ædificationem recitauit. APOLLONIVS: Quem nō
 ædificet tanta Christi humilitas? CÆSARIVS: Dicam
 tibi alias simpliciū orationes, in quibus adhuc am-
 pliùs iocunderis.

CAPVT XXXI.

MAgister Ioannes, nūc Abbas sancti Trudo-
 nis, cum tempore quodam in Saxonia in-
 clusam sibi familiarem visitaret, & illa fle-
 ret, ait: Quid habes mulier? quare lacrymaris? Respō-
 dente illa: Ego perdidit Dominum meum, deuotionis
 feruorem notans. Abbas sciens illam feminā esse san-
 ctam, ioculariter subiunxit: Circue angulos cellulæ
 tuæ, & dic: Domine ubi es? responde mihi, forsitan
 in aliquo foramine muri reperies illum. Quæ verba
 simplicia simpliciter intelligens, post discessum illius,
 parietes cellulæ circumiens, & sicut edocta fuerat, di-
 lectum inuocans, quem quæsiuit, inuenit, & quod
 perdidit, recepit. Sape Deus gratiam suam substra-
 hit, vt auidius quærat, & inuenta custodiatur. Post
 annos aliquot cū idem Ioannes eam visitaret, & de
 statu

Matn eius inquireret; illa hilariter respondit: Optime, gratias vobis ago, quia sicut me docuistis, ita Dominū meum inueni. Qui cū verbum non intelligeret: & illa, secundū quod prædictum est, ad memoriam ei cuncta reuocaret, subrisit, Christum glorificans, simplicibus se conformat.

CAPVT XXXII.

IN Kummede, monasterio sanctimonialium ordinis nostri, simplex quædam puella fuit, ligneam habens imaginem crucifixi; quam cū frequenter adoraret, & deoscularetur, saccello impositā, sub stramentis lectuli sui abscondit. Oblita vbi illam posuisset, omnes angulos monasterij tristis circuiuit, quæsivit, sed non inuenit. Die quadam ante quoddam altare prostrata, cū pro eiusdem imaginis restitutione Christum cum multis lachrymis interpellaret, desiderio puellulæ delectatus Dei filius respondit: Noli flere filia, quia in saccello sub stramentis lectuli tui iaceo. Putabam mihi relatū fuisse à Priore loci illius, quod in somno vocem percepisset, sicuti posuisse me recolo in homilijs moralibus de infantia Saluatoris. Mox puella surgens, stramenta sua reuoluit, & sicut audierat, sic inuenit. Ecce hīc est quod dictum est superius, quod quandoque Dominus suam subtrahat gratiam, vt auidius quærat, & quærendo amplius mereatur. **A**POLLONIVS: Cū Deus simplicium oratione tantum delectetur, puto quod in conspectu eius valde pretiosa sit mors illorum. **C**ÆSARIVS: Veraciter pretiosa, quia virtus simplicitatis etiā martyrij palmam, & miraculorum gloriam meretur. Tria de hoc subnectam exempla.

CAPVT XXXIII.

IN Ferraria ciuitate Lōgobardiæ, ante annos paucos erat homo quidam Marcadellus nomine, miræ simplicitatis, & erga sanctorum loca maxime deuotionis: Qui cū ob nimiam simplicitatem a multis pro fatuo haberetur, & in oculis Dei esset prudentissimus, quicquid de suis laboribus vltra necessitates naturæ reseruare poterat, illud in visitando limina

Simplicitas Martyri gloriosior.

A a

beati